

lis; cui etiam consuetudini se Christus conformavit.

Partem parabolarum Salomonis exhibet liber Proverbiorum, ubi a cap. X incipiunt parabolæ, et extenduntur ad finem libri per versus 658, qui totidem quasi complectuntur parabolæ.

Et fuerunt carmina ejus quinque et mille. LXX Interp. augent valde numerum; ipsi enim legunt: *Quinque millia.* Unde cuidam recentiori videtur *quingies mille pro quinque et mille*, mendose in textum LXX irrepsisse.

Attamen lectio illa, utpote verisimilior, non est rejicienda tanquam mendosa, præsertim si cum hebræa et Vulgata conciliari queat. Cum ergo in omnibus impressionibus, et manuscriptis alexandrinis LXX Interp. habeatur, Salomonis carmina fuisse quinque millia, ut S. Hieron. habet in Bibliis regis: imo ut ante Clementem VIII legerunt passim omnia exemplaria, manuscripta et impressa; omnes etiam antiqui interpretes, ut Origenes, S. Hieron. in Cantica, S. Isidorus, ven. Beda, Rabanus, Hugo cardinalis, et Sixtus senensis: omnino dicendum videtur quod illa sit ipsorum LXX Interpretum lectio.

Conciliari autem potest dicendo, quod scripserit Salomon carmina mille et quinque, intelligendo vel famosiora, vel priora, de quibus hebræa et latina Vulgata; simul tamen scripserit quinque millia, de quibus LXX Interpretes. Quamvis enim Pagninus etiam ex hebræo verterit: *Quinque millia*, fatendum tamen est quod modo in hebræo, sicut in Vulgata sit: *Quinque et mille*, sicut etiam vertit Arias Montanus, Vatablus pariter legit: *Quinque super mille*: et Paraphrasis chaldaica: *Mille et quinque*.

Cap. V. Hiram, rex Tyri, mittit Salomoni ligna et operarios, ad construendum templum: sed et ipse Salomon *̃. 15: Elegit... operarios de omni Israel, et erat indictio triginta millia virorum*, qui videntur fuisse præfecti et præpositi operum, quibus cura erat intendere, ne quando cessaret opus: nam, ut dicitur cap. IX, 22: *De filiis autem Israel non constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores, et ministri ejus, et principes et duces, et præfecti curruum et equorum*.

Præfata summa triginta millium virorum sic disponebatur, ut decem millia per unum mensem intenderent operibus in Libano, et postea alia decem millia mense secundo, et alia decem millia mense tertio; et sic duobus mensibus manebant in domibus suis, ut rebus propriis intenderent, uti eruitur ex *̃. 14*. Atque ita quater in anno erant in opere, alii autem semper, de quibus dicitur *̃. 15: Fueruntque Salomoni septuaginta millia eorum qui onera portabant, et octoginta millia latomorum in monte*. Hi non erant Israelitæ, sed proselyti, ut patet ex II Paralip. II, 17 et 18. Hi igitur proselyti erant Gabaonitæ, cæterique Chananaei, Israelitis subjecti, et ad judaicam religionem conversi.

Operariorum ergo onera portantium (sub quibus intelligi solent aurigæ, nautæ, muliones, agasones, etc.) et latomorum (sub quibus etiam cæsores sagnorum hic comprehendi solent) in fabrica templi

erant universim 150,000. His adde 30000 Hebræorum, de quibus *̃. 15*, fient 180,000. His adjice Tyrios, et Sidonios, quos Salomon ab Hiram postulerat, ipseque ei submiserat, ut patet ex *̃. 6 et 9*. Adde insuper Ægyptios, quos socer ejus Pharaon ei verissimiliter destinaverat, evadent facile ducenta millia hominum.

Sensu allegorico, per *Judæos, Proselytos, et Gentiles* designatur omne hominum genus, per quos ædificanda erat Ecclesia Christi, sive recte vivendo, sive etiam bene docendo. Unde hic applicari potest id quod habet S. P. Aug. in psal. XCV, ubi exponens illa verba Davidica, *tunc exultabunt omnia ligna sylvarum*, ita scribit: *Ligna sylvarum pagani sunt. Quare jam gaudent? Quia præcisi sunt... præcisæ sunt gentes arbores cedrinæ et cyprissinæ, et impudibilia ligna translata sunt ad ædificationem domus (Dei), ligna sylvarum erant, sed antequam irent in ædificium*.

CAP. VI, VII.

Salomon extruit Deo templum magnificentissimum. Edificat palatium suum regium, et domum saltus Libani; duas erigit præcelsas ex ære columnas: et mare æneum duodecim bobus æneis imponit.

QUESTIO PRIMA. — QUANDO TEMPLUM COEPTUM SIT ÆDIFICARI. ITEM QUANTA FUERIT LONGITUDO, LATITUDO, ET ALTIITUDO EJUSDEM.

Cap. VI, 1: *Factum est ergo quadringentesimo octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, quod exorsus sit Salomon illud totius orbis grande miraculum, videlicet templum, quo nulla hominum ætas quidquam vidit, aut opere magis eximium, aut majestate magis augustum.*

In anno quarto, mense Zio (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel. Non debet intelligi, quod fuerit mensis secundus anni quarti regni Salomonis, sed mensis secundus anni tunc currentis, idque sacri, cujus primus mensis erat Nisan, correspondens partim nostro martio, partim aprili: mensis vero secundus erat Zio, correspondens partim nostro aprili, partim maio. Unde chaldaicus habet: *Mense splendoris florum*. Porro quod in nro memorato textu, quoad numerum annorum non contineatur vitium, monstratum est in cap. III lib. Judic. Quest. II.

̃. 2: Domus autem, quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, quæ protendebatur ab oriente in occidentem. Et viginti cubitos in latitudine, quæ extendebatur a meridie ad aquilonem, sicut et tabernaculum, quod olim fecerat Moyses. Et triginta cubitos in altitudine. Hoc ultimum pugnare videtur cum eo, quod habetur II Paralip. III, 4. : *Porro altitudo centum viginti cubitorum erat.* Item altitudo illa triginta cubitorum nullo modo, ut apparet, fuisset spectabilis pro tanti operis magnificentia.

Itaque quod hic dicitur de altitudine 30 cubitorum, intelligendum esse non de tota templi altitudine pertingente videlicet usque ad summum, seu fastigium templi, sed de altitudine ejus a pavimento usque ad

primum, seu infimum tabulatum, sive ambulacrum,asserunt Estius, Sa, A Lapide, aliique.

Quocirca Torniellus, et nonnulli alii, conformiter ad versum 8 dicunt, quod in hujus domus altitudine essent tres mansiones. Inferior prope terram, quæ erat deputata ad cultum divinum: quapropter de illa, præ cæteris, Scriptura facit hic mentionem. In aliis autem duabus, scilicet media et suprema, custodiebantur utensilia, vestes ministrorum, et cætera pretiosa, templo necessaria: et ideo de illis duabus fit minor mentio.

Posito igitur, quod altitudo templi usque ad primam contignationem, seu infimum tabulatum, esset 30 cubitorum, supra hoc erat aliud tabulatum, seu medium cœnaculum, ut habetur *̃. 8*, similiter altitudinis 30 cubitorum; supra hoc erat supremum, seu tertium cœnaculum, altitudinis 60 cubitorum: et sic tota altitudo templi complectebatur 120 cubitos, de quibus agit lib. II Paralip., cap. III. Et hunc modum conciliandi utrumque supra memoratum Scripturæ locum assignat ven. Beda Q. 11 in libros Regum.

Sunt etiam aliqui qui asserunt, quod tertium, seu supremum tabulatum tantum haberet 30 cubitos altitudinis; et isti dicunt, quod tota altitudo templi esset 120 cubitorum, si spectetur secundum ejus porticum, quæ instar turris ad 30 cubitos altius elevabatur, eodem fere modo, quo in nostris templis turres solent altius elevari, quam templorum ædificia. Nam, inquit, loco citato lib. II Paralip., de porticu manifeste sermo est.

Omnibus jam dictis non obstat, quod Josephus lib. VIII Antiq., cap. 2, a templi fundo usque ad primum tabulatum computet 60 cubitos, supra hoc autem aliud ædificium, paris mensuræ, ita ut tota altitudo templi 120 cubitis constaret: quia ipse tantum vidit templum restauratum, sive Herodianum; non autem vidit illud quod primum a Salomone extructum, et postea a Babylonis exustum fuit. Etenim in templo Salomonis non duas tantum, sed tres mansiones fuisse, ex versu 8 manifestum videtur.

Porro in illo ædificio, quod supra infimum tabulatum, non tantum fuerunt repositi templi thesauri; sed etiam, secundum Abulensem et alios, vetus tabernaculum Moysis, Davidis altare: imo et ibidem postea sex annis latuisse putatur Joas puer, et postea rex, fugiens Athaliam occidentem filios regis, IV Reg. XI.

Quod vero templum hic dicatur habuisse 60 cubitos in longitudine, et 20 in latitudine, recte intelligit Lyranus intra parietes; sic ut sermo sit de interiori, seu vacuo templi spatio, ut loquitur Menochius, seclusis parietibus: nam si geminus undique murus comprehendatur, longitudinem habuit 100 cubitorum, latitudinem vero fere 60, juxta auctores citatos. Tanta enim altitudo et moles templi crassis admodum parietibus sustentabatur; muri quoque fulciebantur per suas costas, parastadas, et antherides, de quibus ideri possunt Vilalpandus, Ribera, et alii.

̃. 5: Et ædificavit super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi et oraculi, et fecit latera in circuitu. Id est, fecit tres cellularum ordines pro usu sacerdotum, quæ illud ambiabant per tria latera, sive tres mundi plagas; ad occidentem, meridiem, et septentrionem; nam pars orientalis, ubi erat ostium et ingressus, cellulas in circuitu habere non poterat. Primus, seu infimus ordo habebat latitudinem quinque cubitorum, secundus sex, et supremus septem, ut patet ex *̃. 6*.

Porro quod jam dicti ordines cellularum in latitudine essent inæquales, putat Torniellus duobus modis potuisse contingere: Vel quia, inquit, templi murus in parte inferiori usque ad tectum primi tabulati esset crassior, et inde usque ad tectum secundi, uno cubito minus crassus, in tertio autem tabulato, altero item cubito gracilior. Vel e converso, quia parietes quidem templi extrinsecus perpendiculariter ascenderent, ordines vero tabularum seu cellularum sese invicem foris uno cubito protenderent. Posterior modus magis arridet auctori citato, propter illa verba, quæ habentur *̃. 6*, videlicet: *Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, ut non hærerent muris templi.* Ex quibus verbis videtur posse colligi, quod prædicta tabulata non crassioribus muri partibus, sed trabibus secus murum erectis fulcirentur.

Menochius, qui existimat quod templum spatium pariete cingeretur, dicit quod inter parietes spatium esset latitudinis quinque cubitorum, quodque in eo spatio cubicula essent inter utrumque parietem interclusa.

Sanctius, et A Lapide verba illa, *super parietem*, explicant per *circa*, vel *prope*, quo sensu dicitur Deus psal. CXXXV, *firmasse terram super aquas*.

Sensu allegorico, templum representabat Ecclesiam militantem in terris; sensu anagogico, triumphantem in cælis; sensu tropologico sive morali, hominem justum. Quocirca S. P. Aug. lib. III cont. Maximin., cap. 5: *Templum, inquit, non est factum ab hominibus, nisi aut vero Deo, sicut Salomon fecit: aut eis, qui pro diis habentur; sicut gentes quæ ignorant Deum. Spiritus autem sanctus, quod cum magno honore de Deo dictum est (I Cor. VI), non in manufactis templis habitat, sed corpus nostrum (quanto magis anima) templum est Spiritus sancti.*

QUESTIO II. — QUOT ANNIS SALOMON ÆDIFICAVIT DOMUM SUAM, ET CUIUSMODI FUERINT DUE COLUMNÆ ÆNEÆ QUAS POSUIT ANTE FORES TEMPLI.

Cap. VII, 1: *Domum autem suam ædificavit Salomon tredecim annis.* Adeoque fere duplo plus temporis in ea construenda impendit, quam ædificando templo, etsi multo magnificentiore. Siquidem ex cap. VI, 58, constat, quod in ædificando templo tantum impenderit septem annos et sex menses.

Ratio autem, cur templum septem annorum et sex mensium spatio fuerit absolutum, regia vero domus non nisi tredecim annis, est, 1. quod maxima esset devotio Salomonis, urgentis opus templi, et etiam

populi adjuvantis; 2. quia David pro templo plurima modo paraverat, ut patet lib. I Paralip., cap. XXII. Porro his tredecim annis tres domos, seu palatia ædificavit Salomon, scilicet suam, reginæ, et saltus Libani, ut Abulensis alique observant. Hæc autem tria, infra, cap. IX, 10, et II Paralip. VIII, 2, simpliciter vocantur una domus: quia erant quasi tres partes, seu tria membra unius ejusdemque domus reginæ: sic enim palatia regum plures habitationes in se solent comprehendere.

γ. 2: *Ædificavit quoque domum saltus Libani.* Hanc sic appellatam putant aliqui, quod ad eam partem montis Sion vergeret, quæ nemorosa erat instar Libani: alii, quod multitudine columnarum cedrinarum cedros Libani imitaretur.

γ. 15: *Et finxit duas columnas aereas, decem et octo cubitorum altitudinis columnam unam.* Ejusdem altitudinis erat columna altera: erant enim in omnibus æquales. At lib. II Paralip. III, 15, dicitur: *Ante fores etiam templi (fecit) duas columnas, quæ triginta et quinque cubitos habebant altitudinis.* Duobus modis conantur interpretes hæc conciliare.

Primo Menochius putat quod, dum in Paralip. dicuntur columnæ fuisse altitudinis 35 cubitorum, id non de singulis, sed de utraque simul intelligendum sit: licet enim universim essent 36 cubiti (nam bis 18 faciunt 36), tamen in qualibet dimidius cubitus pro ipsa solida plintho cui innitebatur, secludi debet. Itaque juxta auctorem citatum et nonnullos alios, quælibet columna cum basi sua fuit 17 cubitorum cum dimidio, seclusa plintho, quæ absolvit cubitum decimum octavum.

Porro rationem secludendi plinthum eam afferunt, quod utraque columna cum sua basi interius esset cava, quam propterea congruum fuit super solidam plinthum niti, propterea que seorsim fundi.

Dicunt igitur illi quod lib. Paralip. utriusque columnæ simul spectatæ altitudinem computet 35 cubitorum, seclusis utraque plintho et capitellis, quæ seorsim fusa erant; hoc vero lib. Reg. assignentur 18 cubiti singulis columnis, solida illa plintho simul comprehensa. Verumtamen hæc opinio non videtur admittenda.

1. Quia præterquam quod ex nullo capite probari possit basim columnarum fuisse cavam, et ideo super solidam plinthum debuisse niti, etiam sine ullo prorsus fundamento asseritur quod liber Paralip. plinthum excludat, hic vero liber Reg. eundem includat.

2. Dum liber Paralip. dicit duas columnas triginta quinque cubitos habuisse altitudinis, juxta proprium et naturalem sensum significat, quamlibet columnam tot cubitis altam fuisse, adeoque id non de utraque simul, sed de singulis columnis accipiendum est, præsertim cum id etiam disertis verbis exprimat textus LXX Interp. Romæ impressus, Jeremiæ cap. ult., dicens: *Triginta quinque cubitorum altitudo columnæ unius.*

Mellor itaque et fundatior videtur opinio Lyrani, Abulensis et Cajetani, qui dicunt quamlibet columnam

fuisse 18 cubitorum, quoad stipitem, in toto autem 35, scilicet addendo quantitatem basis, capitis et coronæ qua in apice ornabatur. Igitur juxta hanc sententiam columna in stipite erat 18 cubitorum, et hoc hic insinuat γ. 15; altitudo autem capitis liliati, quod erat in superiori parte, erat 4 cubitorum, ut habetur γ. 19, et desuper erat capitellum aliud, quasi reticulatum, quod erat 5 cubitorum altitudinis, ut dicitur γ. 16. De mensura autem basis non fit mentio, sed si illa statuatur ascendisse ad 8 cubitos, sic simul tota columna ascendit ad altitudinem 35 cubitorum.

Dices 1. cum A Lapide: Basis quæ stipiti columnæ supponebatur, et corona seu capitellum, in justa architecturæ proportionem, non poterant ascendere ad tantam altitudinem, ut ipsi columnæ fere æquarentur; ergo hæc opinio non videtur admittenda.

R. neg. conseq. Nam etiamsi hic aliquid occurreret quod non esset consonum regulis architecturæ ab hominibus præscriptis, Deus tamen, qui ideam templi et formam columnarum præscripserat, istis regulis non subjacet: nam sicut olim Moyses formam tabernaculi, sic David hujus templi ideam a Deo acceperat. *Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris, I Paral. XXVIII, 19.* Et huic ideæ instituit Salomon.

Imo ipsemet A Lapide, paulo infra, agens de crassitie columnarum, fatetur non tam columnas ad symmetriam et proportionem architectonicam columnarum fabricatas, quam moles, et turres ingentes aeneas fuisse ad templi magnificentiam et munimen erectas.

Dices 2: Lib. II Paralip., cap. III, in 35 cubitis non numerantur cubiti capitum: siquidem sacer textus post verba illa: *Ante fores etiam templi columnas duas, quæ triginta et quinque cubitos habebant altitudinis,* protinus subjungit: *Porro capita eorum quinque cubitorum.* Ergo non videtur dici posse quod juxta lib. Paral. quælibet columna habuerit 35 cubitos altitudinis, addita scilicet altitudini stipitis altitudine capitis, etc.

R. neg. ant., et dico cum Tornielo quod Scriptura eo loco post notatam totius structuræ altitudinem, seorsim quoque aliarum ejus partium, nempe capitellorum, mensuram subjunxit; ac proinde inde non sequitur quod in 35 cubitis non numerentur cubiti capitum.

De crassitie columnarum supra citato versu 15, additur: *Et linea duodecim cubitorum ambiabat columnam utramque.* Menochius sic exponit ut scilicet ambitus cujusque esset sex cubitorum, diameter vero duorum. Sic etiam Vilalpandus, et ex eo Salius volunt non unam, sed utramque columnam simul junctam, habuisse hanc duodecim cubitorum mensuram in circumferentia, seu crassitie.

Attamen unamquamque columnam in ambitu suo habuisse duodecim cubitos patet ex Jeremiæ, cap. LV, 21, ubi propheta columnas has a Chaldeis Jerusalem vastantibus abductas, describens, ait: *Decem et octo cubiti altitudinis erant in columna una, et funiculus duodecim cubitorum circumbat eam: porro grossitudo ejus quatuor digitorum, et intrinsecus cava erat.*

Ubi particulam *eam* interpretari utramque, ut Menochius facit, violentum plane et contortum est.

Patet etiam ex LXX Interp. qui hoc versu 15 cap. VII lib. III Reg. ita habent: *Perimetrum duodecim cubitorum flum ambiabat eam, et sic columna secunda.* Similiter chaldæus ait: *Octodecim cubitorum erat altitudo columnæ unius, et flum mensuræ duodecim cubitorum ambiabat eam: Et sic fecit columnæ secundæ.* Pagninus etiam et Arias ex hebræo vertunt: *Et flum duodecim cubitorum circumdabat columnam secundam.* Si secundam, ergo et primam; erant enim æqualis formæ et materiæ. Et ideo male dicunt illi qui asserunt quod quælibet per se sumpta haberet tantum sex cubitos in circuito, inquit Lyranus.

Ex jam dictis colligitur quanta fuerit columnarum crassities, nempe quatuor circiter cubitorum, quæ est tertia pars duodecim cubitorum; diameter enim est circiter tertia pars circuli.

γ. 21: *Et statuit duas columnas in porticu templi.* Id est in aditu vestibuli, ait Josephus. Unde non erant proprie in, sed extra porticum; ita ut una columna uni portæ porticus, altera alteri adstaret.

Cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine JACHIN, id est firmiter directam seu stabilitam. Similiter erexit columnam secundam (a sinistris), et vocavit nomen ejus Booz, id est fortitudo. Unde Beda, Abulensis et Vatablus censent Salomonem hæc nomina imponendo significasse se optare firmitatem et stabilitatem templi.

Postea tamen per Chaldæos, seu Babylonios columnæ istæ simul cum templo destructæ sunt. Unde quod hic de firmitate et stabilitate dictum est, prophetice referendum est ad eam domum quæ est *Ecclesia Dei vivi*, quæ firmiter ædificata est: ipsa enim est *columna et firmamentum veritatis*, ut ait Apostolus I Tim. III, 15.

Sensu mystico, columnæ sunt apostoli et doctores, qui contemplatione ad superna sunt erecti ac fortes fide et opere. Sunt duæ, quia fideles ex Judæis et gentibus suffulcunt. Sunt ante fores templi, ut utrosque in templum, id est in cælum, inducant.

P. quo sensu hic γ. 26 dicatur de mari æneo, quod caperet duo millia batos, II vero Paralip. IV, 5, *tria millia metretas.*

R. Duo sunt modi quibus interpretes utrumque textum conciliare conantur. Primo Ribera, lib. II de Templo, cap. 16, et Cajetanus censent mare æneum trium millium batorum, sive metretarum, capax fuisse, sed tantum duo millia infundi solita, atque ita facile conciliari textum, ut hoc cap. VII lib. III Reg., de aquarum numero, qui moderate adhiberi solebat, sermo sit; in Paralip. vero de aquis quas capere mare illud poterat, si usque ad limbum impleretur. Secundo Salius et Vilalpandus dicunt fuisse duo genera batorum, alterum majus seu sacrum, quorum duo millia capiebat mare, ut dicitur hoc cap. lib. III Reg.; alterum minus seu vulgare (de quo in Paralip.) quod metretam vertit interpres latinus. Nimirum erant illi bati vulgares tertia parte minores batis

sacris; ita ut duo majores tribus minoribus æquivalerent.

Cap. VIII. Agitur de solemnitate quam fecit Salomon in dedicatione templi, item de hostiis quas dedit offerendas. Ea autem quæ circa ista disputari solent, discutiemus in lib. II Paralip.

CAPUT IX.

Deus apprens Salomoni, promittit ei templi ædificati stabilitatem, ac throni firmitatem, si præcepta sua exacte servaverit. Salomon offert Hiram regi Tyri viginti civitates; classem mitti in Ophir, quæ illi plurimum auri offert.

QUÆSTIO UNICA. — QUENAM SIT REGIO APPELLATA OPHIR, EX QUA CLASSIS SALOMONIS PLURIMUM AURI ADVEHEBAT.

Vers. 26: *Classem quoque fecit rex Salomon in Asion-gaber, quæ est juxta Ailath in litore maris Rubri.* Pineda arbitratur Salomonem hanc classem initio regni ad colligendum aurum pro fabrica templi instruxisse. Sed ex versu 10 et 11 oppositum colligit Salius.

Qui cum venissent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem. Lib. II Paralip., cap. VIII, 18, narratur quadringenta quinquaginta talenta auri hæc navigatione ad Salomonem ex Ophir allata: quia Paralipomenon more suo supplet, quod in lib. Reg. omissum fuit. Ubi vero, et quenam mundi regio sit Ophir, de qua hic sermo, non adeo hic constat inter explanatores.

Quidam recentiores Ophir esse putant insulam in Occidentali India, sive America sitam, et jam circiter ab annis 261 a Christophoro Columbo repertam, quæ vocatur *Hispaniola*. Sed juxta Estium hæc opinio nihil habet verisimile, et ex Scriptura refellitur, uti ex infra dicendis patebit.

Nonnulli per Ophir putant designatam Zophalam, alii Angolam in Æthiopia. Alii censent fuisse Malaccam, alii cum Eugubino intimam Persiam, alii Africanam.

Præ cæteris vero duæ sunt opiniones magis celebres. Una contendit Ophir esse regnum Peruanum in America. Ibi namque aurum reperitur plurimum et laudatissimum, quod inde quotannis fere in Hispaniam asportatur. Huic opinioni suffragantur Vatablus, Arias, Genebrardus, et alii, qui censent novum mundum fuisse a Salomone apertum et cognitum.

In favorem hujus opinionis adduci solet quod II Paralip. III, 4, ubi Vulgata habet: *Aurum erat probatissimum*, in hebraico habeatur *Aurum erat Peruaitim*, id est aurum utriusque Peru, majoris scilicet et minoris.

Verumtamen ibidem non est sermo de auro quod classis Salomonis advehebat, sed vel de auro quod David et vicinis gentibus, bello subactis, in maxima copia collegerat, et filio suo Salomoni reliquerat, ut con-

tendit Tirinus : vel ibidem agitur de auro quod Hiram rex Tyri præbuerat, ut dicitur hoc cap., $\text{\textcircled{Y}}$. 11. Jam autem hoc aurum, uti et alia quæ classis Hiram ex Ophir solebat advehere, non sunt allata ex America, sed ex India Orientali, uti infra patebit; ergo, etc. Addit A. Lapide quod nomen *Peru* tunc fuerit incognitum, et etiam nunc Peruanis incognitum sit; quodque Hispani nuper isti regioni illud nomen indiderint a quodam illic flumine cui nomen est *Peru*, ut testatur Josephus Acosta, lib. I de novo Orbe, cap. 15 et 14. Itaque

R. et dico : Posterior et communior ac verisimilior sententia est quod *Ophir* nominata sit India Orientalis vel certa ejus auriferax regio. Quocirca observa quod India orientalis complectatur plures auriferaces regiones, ut *Ceylan* et *Sumatram* insulas, et in continente *Golcondam*, *Belgalam*, *Pegu*, *Siam*, etc., quæ ab auri copia vocantur *aurea Chersonesus*. Ita Josephus Acosta, loco præcitato, Gaspar Varrerius, lib. de Ophir, Serarius, Salianus, Tirinus in cap. VIII lib. II Paralip., et alii complures. Hæc sententia

Prob. I. Quia, ut docent Theodoretus, Procopius et S. Hieron., epist. 40 ad Præcipiam, regio *Ophir* nomen suum accepit ab *Ophir*, filio Jectan, de quo agitur Gen. XI, 29. Jam autem *Ophir* iste, sicut et frater ejus *Hevila*, certo non habitavit in America, sed in aliqua regione respectu Judææ Orientali, verisimiliter in India Orientali, ut dictum est in cap. II Gen., quæst. I, $\text{\textcircled{S}}$ 1; ergo, etc. Ac proinde dici nequit quod *Ophir* sit regnum Peruanum, aut Hispaniola in America.

Prob. II. Quia classis Salomonis solvebat ex Asiongaber, portu maris Rubri, sive ex sinu Arabico. Ex hoc autem facilis, directa et vicina est navigatio in *Sumatram*, et supra citatas Indiæ Orientalis regiones, ut patet ex tabulis geographicis. Cum vero regnum Peruanum inde toto celo distet, et longissima planeque periculosa et anfractuosa fuisset navigatio ex mari Rubro in Indiam Occidentalem, cur relicto opibus Indiæ Orientalis sibi vicina, iisque præstantissimis, Salomon rex sapientissimus, eas immenso labore et periculo quæsivisset ex regione occidentali, omnium regionum totius terræ à Jerusalem remotissima?

Prob. III. Si India Occidentalis et navigatio in illam a Salomone fuisset reperta ac trita, utique mansisset ejus memoria maxime apud Syros, navigationibus assuetos. At vero ante Americum Vesputium (a quo dicta est America), qui terram illam detexit, fuit omnibus ignota; ergo, etc.

His adde quod in supra dictis locis, maxime in insula *Ceylan*, reperiantur ea omnia quæ classe Hiram et navibus euntibus cum servis Hiram ad Salomonem ex Ophir et Tharsis simul cum auro advecta dicuntur, cap. X, 11 et 22: item II Paralip. IX, 21, scilicet ligna thyina, ebur, simiæ, pavones, gemmæ, etc., sintque illic in magna copia. Sed omnibus illis caret regnum Peruanum, ut testatur Josephus Acosta, supra citatus, qui annis 14 in Peru vixit.

Nec obstat quod loco supracitato ex II Paralip. III, *aurum probatissimum*, quo Salomon texit domum Domini, in hebraico dicitur *aurum Peruaim*, quia ad hoc commode responderi potest cum A Lapide, quod dicitur *Peruaim*, quia *Pegu*, *Sumatra* et aliæ supra memoratæ Indiæ Orientalis regiones (ex quibus probabiliter istud aurum advectum fuit) a Salomone et Hebræis nuncupatæ sunt *Peruaim* a radice *para*, id est *fructificavit*, eo quod summe sunt frugifera et auriferacissima.

CAPUT X.

Regina Saba veniens ad Salomonem, ejus sapientiam et magnificentiam admiratur, eique ampla munera offert, etc.

QUÆSTIO UNICA. — AN REGINA SABA VENERIT AD SALOMONEM EX ARABIA, AN AUTEM EX ABYSSINIA.

Nota 1, quod hæc verba $\text{\textcircled{Y}}$. 4: *Sed et regina Saba audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus*, ab A Lapide et pluribus aliis interpretibus, exponantur hoc modo: Regina Saba, audita fama de mira Salomonis sapientia illi a Deo indita, deque stupendis ejus fabricis et operibus, quæ faciebat in nomine Domini, id est, ope et virtute Dei, venit tentare eum in ænigmatibus, id est experimentum capere de sapientia ejus, proponendo illi acutas et difficiles quæstiones, sive ad mōres, sive ad regni administrationem spectantes. Enimvero, quod illa verba: *In nomine Domini, connecti debeant cum fama, non cum eadem venit*, non tantum patet ex commate quod in textu latino ponitur ante verbum *venit*, sed vel maxime ex hebræo, in quo ita habetur: *Audiens, seu audivit famam Salomonis in nomine Domini. Et venit*. Ubi per modum novæ constructionis dicitur: *Et venit*. Ac proinde ex citato Scripturæ loco non videtur posse probari quod ista regina, priusquam venerit ad Salomonem, fuerit veri Dei cultrix.

Interim tamen translatio S. Hieron. sic interpungit: *Sed et regina Saba, audita fama Salomonis, in nomine Domini venit, etc.* LXX Interpretes in bibliis regiis habent: *Et regina Saba audivit nomen Salomonis, et nomen Domini, et venit ut tentaret eum in ænigmatibus*.

Cæterum, quidquid sit de istis textibus, non male videntur sentire illi qui dicunt, istam reginam, antequam Jerosolymam veniret, cultui idololatrico, sicut et alios gentiles, addictam fuisse, tametsi (ut textus LXX insinuat) tenuem aliquam veri Dei notitiam habuerit, cujus tamen nondum cultrix existebat. Et quamvis Jerosolymam veniret, ut solutionem ænigmatum quæreret, neque altius curiosam mentem attolleret, Deus tamen id videtur egisse occultius, ut a Salomone, quem cælestibus disciplinis impleverat, et ex magnificentia templi, ubi solennes immolari victimas quotidie videbat, verum Deum agnosceret, et imposterum coleret.

Nota 2, ex S. Hieron. in Tradit. hebræicis in cap. X lib. Gen., duplicem esse regionem *Sabæ* appellatam. Una Saba est in Arabia Felici, quæ nomen accepit a

Saba filio Regma, filii Chus, filii Cham; vel ut quidam volunt, a Saba filio Jectan, filii Heber; de quibus omnibus agitur lib. Gen. cap. X. Primum tamen, nempe quod Saba Arabiæ nomen suum accepit a Saba filio Regma, verisimiliter est: nam in Scriptura, puta Ezechiel. XXXVIII, 15, Saba conjungitur cum Dedan, quæ regio denominata est a Dadan fratre Saba, qui erat filius Regma. Alia Saba est in Abyssinia, quæ sub æquinoctiali in Africa sita est, fuzdata et appellata a Saba filio Chus, et fratre Regma, Gen. X, 7. Ex hoc Saba orti dicuntur Æthiopes in Africa, ut insinuat S. Hieron. loco supra citato. His notatis, et præmissis,

R. et dico: Quamvis nonnulli reginam Saba fuisse Africanam, et ex Abyssinia illam advenisse, putent haud contemnendis argumentis; alii tamen probabiliter Asiaticam fuisse arbitrantur, et ex Arabia Felici advenisse sustinent.

Prob. I. Quia, ut docet S. Hieron. in Tradit. hebræicis in cap. X Gen., Saba Africa scribitur per litteram hebraicam *Samech*, id est, per simplex S; Saba autem Arabiæ scribitur per *Schin*, seu *Sch* aut *Sc*. Atqui hoc cap. lib. III Reg. in hebræo Saba scripta est per *Schin*, ut liquet ex bibliis regiis; ergo per Sabam hic intelligitur Saba Arabiæ.

Nec dici potest, rabbinos male hic posuisse punctum in dextero cornu, et fecisse *Schin*, cum tamen ponendum esset in sinistro, legendumque *Samech*: quia hoc gratis, et sine ullo fundamento videtur ab aliquibus esse exogitatum. Præterea hæc responsio repugnat auctoritati S. Hieron., uti statim ex Prob. III patebit.

Prob. II. Dum propheta Job et Isaías Sabæ meminerunt, eam conjungunt iis regionibus quæ sunt in Arabia, vel ei saltem vicina: Job enim cap. VI, 40, eam conjungit cum Theman; Isaías autem cap. LX, 6 et 7, cum Madian et Epha, etc., quæ sunt partes, vel confinia Arabiæ. Atqui Saba in illis locis scribitur eisdem litteris hebraicis, quibus hoc cap. lib. III Reg., uti ex bibliis regiis, et bibliis hebræis Ariæ Montani manifestum est; ergo et hic intelligitur Saba Arabiæ.

Prob. III. Quia hanc sententiam apertis terminis tradit S. Hieron. in cap. LX Isaïæ ita scribens: *Madian et Epha, regiones sunt trans Arabiam, fertiles camelorum, omnique provincia appellatur Saba. Unde fuit et Saba regina, quæ venit sapientiam audire Salomonis*. Cum igitur S. Hieron. loco jam citato, aperte doceat, quod ista regina venerit ex Saba Arabiæ, et simul etiam in Tradit. hebræicis in cap. Gen. clare dicat, quod Saba Arabiæ hebraice non scribatur per *Samech*, sed per *Schin*, manifestum est, quod juxta ipsius mentem, in hoc cap. lib. III Reg., Saba non debeat scribi per *Samech*, sed per *Schin*: nam si deberet scribi per *Samech*, non potuisset hic S. Doctor (qui tamen in lingua hebraica versatissimus fuit) sequendo sua principia sustinere, aut dicere, quod regina Saba venerit ex regione Saba, quæ sita est in Arabia.

SOLVUNTUR ARGUMENTA. — Obj. I. Christus præfa-

tam reginam vocat *reginam Austri*, Matth. XII, 42, dicens: *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam, quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis: et ecce plus quam Salomon hic*. Atqui Arabia Felix respectu Jerusalem orientalis potius, quam australis est, ut patet ex historia Magorum, qui dicuntur venisse ex Oriente; et revera venerunt ex Arabia Felici: econverso autem regio Abyssinorum est australis respectu Judææ; ergo ista regina venit ex Abyssinia.

R. Arabiam Felicem respectu Judææ esse partim orientalem et partim australem: imo illa Arabia pars, in qua sita est regio Saba, fere æque australis est, ac Saba Abyssiniæ. Nam juxta tabulam geographicam, quam suæ Geographiæ sacre præfixit Samuel Bochartus, item juxta tabulam geographicam Vitre, Jerusalem sita est sub gradu longitudinis circiter 67; Abyssinia vero, seu Æthiopia Africa sub gradu circiter 61: pars autem illa Arabiæ, in qua sita est Saba, sub gradu circiter 74. Cum igitur Abyssinia a meridiano Jerosolymitano versus orientem deflectat ad gradus circiter sex, et Saba Arabiæ ab eodem meridiano versus orientem protendatur ad gradus circiter septem: sequitur quod Saba Arabiæ respectu Jerusalem fere æque australis sit, ac est Saba Abyssiniæ.

Et sane, quod Arabia in Scriptura etiam vocetur *Auster*, patet ex illo Isaïæ cap. XXI, 15 et 14. *Onus in Arabia. In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim, occurrentes sitienti forte aquam, qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrere fugienti*. Id est: Vos, qui circa Dedanim, aliasque australes Arabiæ partes habitatis, date potum et cibum illis qui, fugientes hostem venientem a parte adversa, siti et fame laborant.

Inst. 1. Præmemorata regina a Christo simpliciter, et sine ullo addito vocatur *regina Austri*. Atqui hæc verba videntur insinuare, quod latissimum habuerit imperium per totam quasi meridionalem plagam, qualis est Abyssinia, seu vasta Æthiopia Africa. Unde et Josephus, lib. VIII Antiq., cap. 2, eam appellat *Ægypti Æthiopiæque reginam*: ergo, etc.

R. Neg. min. Quia vocatur a Christo *regina Austri*, eo quod dominaretur isti Arabiæ parti quæ respectu Judææ, seu Jerusalem magis australis est quam orientalis; uti ex supra dictis colligi potest. Quod illa regina Ægypto imperaret, nullo modo verum est. Nam illo tempore rex Ægypti erat Pharaon, cujus filia erat uxor Salomonis. Unde hic, sicut in pluribus aliis, mutat fides Josephi, utpote asserentis ea quæ manifeste repugnant Scripturæ, tum cap. præced. $\text{\textcircled{Y}}$. 16, tum cap. seq. $\text{\textcircled{Y}}$. 18.

Inst. 2. Christus, Matth. XII, non tantum eam vocat *reginam Austri*, sed etiam addit, quod venerit a *finibus terræ*. Ergo non venit ex Saba Arabiæ: nam hæc non procul distat a Judæa; utpote ex qua in Bethlehem tres Magi pervenerunt verisimiliter tempore 15 dierum.

R. Neg. conseq. Nam Arabia Felix melius dicitur *finis terræ*, quam Abyssinia: siquidem sita est ad lit-